

PRÆFATIO AD LECTOREM.

utantur qui volent, donec aliquid plenius & elaboratius ab alio aliquo, qui magis abundet & octo & ingenio in eodem genere prodeat.

Tertia restat causa, qua me non incitauit modo, sed planè etiam, ut in initio dicebam, impulsit & coegit, ut hosce labores posteritati mandarem. Cum beate memorie GREGORIVS XIII. Pontifex Max. Germanica atque Anglicæ nationis adiuuanda studio, Germanorum Anglorumq; adolescentium amplissima duo Collegia in vrbe Roma, id est, in ipsa arce religionis, instituisset: ea mihi prouincia mandata est, ut eorum Collegiorum alumnis controuersias fidei, quàm diligentissimè & planissimè fieri poterat, nostro in Gymnasio explicarem; & quasi nouos Ecclesiæ milites, in suis ipsorum prouinciis cum inferiorum copiis congressuros, pro mea tenuitate armarem. Ea igitur oblata occasione rem aggressus, eam disputandi rationem inuiui, ut controuersias fidei omnes complecterer, ac partim eas in sua membra tribuerem, partim cum aliis iungerem & copularem, ut alia aliam sereret, & alia penderet & nasceretur ex alia, & ex omnibus unum doctrina corpus integrum & perfectum, suisq; numeris absolutum existeret. Quæ nostræ disputationes ab auditoribus primùm in Gymnasio inter docendum exceptæ, deinde à multis iterum atq; iterum non sine magno vel labore, vel sumptu descriptæ, atque ad varia loca delatæ, tanta contentione ad præalumceptæ sunt postulari, ut etiam aliqui minarentur se typis eas nobis inuitis ac repugnantibus mandaturos. Quare coactus sum, opus adhuc rude & impolitum (neque enim quotidiano docendi munere impeditus, extremam illi manum imponere potui) ipse emittere, ne magno meo cum dolore disputationes in scholis exceptas, laceras videlicet ac mutilas, & mendis undique referias, typis excusas cernerem.

Tu velim, optime Lector, si quid erit in his commentariis, quod ad Dei gloriam, & Ecclesiæ Catholice utilitatem tibi usui esse possit, eo utare, & uni bonorum auctori Deo, non mihi, gratias agas: si quid vero inter legendum occurrerit, quod sæpè fiet, aut nimis breue, aut parum æquabile, aut minus propriè & eleganter dictum; illud memineris, non eo animo hæc in initio scripta fuisse, ut ederentur, sed ut memoriam meam inter docendum iuuant, nec quomodo quidq; dicatur, sed quid dicatur, attendas.

Opus hoc R. P. ROBERTI BELLARMINI, Societatis IESV, quoniam omnes Christianæ fidei controuersias aduersus huius temporis hæreticos, ita copiosè, orthodoxè, eruditè ac solidè explicat, ut non immeritò in integerrimū, pulcherrimum, absolutissimumq; controuersiarum omnium Corpus appellari queat; dignum profecto cum primis est, quod ad plurimorum utilitatem multò maximam typis procudatur.

Ita sentio ego ALBERTVS HVNGERVS,
S. Theologiæ D. Professor, & Pro-
cancellarius in alma Academia In-
golsiadensi.